

Scientiae differunt secundum nobilitatem subjectorum.
Considerazioni sulla classificazione delle scienze in Alberto il Grande¹

ANDREA COLLI
(Università degli Studi di Trento)

a) *Metaphysica*, I, tr. 2, c. 9 (ed. Colon. 16/1), p. 26, ll. 20-28

Per eadem etiam quae dicta sunt, probatur hanc ipsam scientiam honorabilissimam esse. Si enim honor praemium est virtutis, ut in primo ethicorum determinatum est, consequens est dignissimam omnium virtutum honore esse dignissimam; haec autem est quae maxime est divina. Nec dubium est sapientiam esse virtutem maxime divinam ei qui advertit secundum eam et eius actum esse felicitatem contemplativam.

b) *Super Ethica*, VI, 10 (ed. Colon. 14/2), p. 460, ll. 34-52

Dicendum, quod honorabilissima dicuntur illa ad quae quodammodo omnia alia ordinantur. Actiones autem omnes ordinantur ad contemplationem et contemplationes omnes ordinantur ad sapientialium contemplationem, quae est de substantiis separatis. Illa enim sunt potissima opera et quae maxime a deo remunerantur, quae ipse exercet; est autem ipse sui ipsius optimus contemplator. Et ideo praecipuum opus hominis, ad quod omnia alia reducuntur, est contemplatio substantiarum separatarum, et in hoc facit animam bene se habere sapientia. Si enim consideret alia theoremata contemplative felix sicut geometricalia, tamen considerat ea et delectatur in eis sicut in ordine ad illa, inquantum sunt quaedam semina horum, secundum quod ex primis intellectibus resultant huiusmodi contemplationes in animabus nostris. Et ideo sapientia simpliciter est honorabilissimorum.

c) *Metaphysica*, VI, tr. 1, c. 3, (ed. Colon. 16/1), p. 305, ll. 50-54, ll. 63-69, p. 305, l. 70-p. 306, l. 5

Oportet autem honorabilissimam scientiam esse circa honorabilissimum genus subiectum. Est autem honorabilissimum genus subiectum hoc quod est divinum. Divina igitur est honorabilissima scientiarum. (...) Ex hoc autem quod diximus primam philosophiam esse circa divina immobilia et separata et simplicia, dubitabit fortasse aliquis, utrum ipsa sit scientia universalis, sicut saepe iam diximus, an forte sit circa aliquod genus subiectum unum et circa naturam unam divinam, et sic sit scientia particularis sicut et aliae scientiae, quae circa unam partem entis contemplantur. (...) Illa vero quam divinam vocamus, est communis omnium, quia licet sit de deo et divinis, est tamen de his, secundum quod illa sunt principia universi esse per hoc quod sunt principia entis vere, secundum quod est ens, et hoc est substantia non nisi ex principiis substantiae, inquantum substantia est, composita.

¹ Il presente studio è stato realizzato del progetto di ricerca “Testi medievali e mappe ontologiche digitali. Il concetto di nobilitas come speculum per una web-analysis delle teorie dell’intelletto del XIII secolo (NOBILITAS)”, presentato sul bando post-doc 2011 (Provincia Autonoma di Trento) - <http://nobilitas.lett.unitn.it/>

d) De anima, I, tr. 1, c. 2, (ed. Colon. 7), p. 4, ll. 42-47; 54-59; p. 5, ll. 6-18

Licet autem sic in prioritatem dignitatis animae scientiam ponamus, tamen in ordine doctrinae inter scientias naturales non ponimus eam primam, quia ordo doctrinae non sequitur prioritatem dignitatis, sed potius ordinem rationis tenet, in quo de communioribus prior est speculatio, sicut diximus superius. (...) Utilitas autem eius praecipua est, quod ad omnium scibilium veritatem cognoscendam maxime proficit, et praecipue ad notitiam veritatis rerum naturalium, cum ipsa sit principium formale et essenziale animalium, et non nisi per notitiam animae poterunt cognosci corpora animatorum. (...) Quorum unus est, quia proficit ad naturalem veritatem, eo quod ipsa pars nobilissima est scientiae naturalis. Alio autem modo proficit ad divinam, quia in ista scientia manifestatur nobilior pars subiecti scientiae divinae. Manifestatur enim in ista scientia, quod intelligentia est et quod separata est et qualiter agit intelligibilia. De quibus omnibus primus philosophus inquit, licet non inquirat de eis, in quantum sunt haec opera animae et partes animae. Ad quasdam autem proficit, quia dat eis plurima principia, sicut ad moralem, cui dat eligentiam et rationem rectam et prohaeresim et multa alia per quae reguntur civitates in moribus.

e) Metaphysica, I, tr. 1, c. 2, (ed. Colon. 16/1), p. 5, ll. 34-38

Sunt autem quidam Latinorum logice persuasi, dicentes deum esse subiectum huius scientiae, eo quod nobilissimae scientiae dicunt debere esse nobilissimum subiectum et primae scientiae primum subiectum et divinae divinum et altissimae altissimum.

f) Peri hermeneias, I, tr. 1, c. 1, (ed. Borgnet, 1890), p. 374a

Multipliciter enim datur alicui scientiae subiectum, et non uno modo scilicet quod subiectum est de cuius partibus in scientia probantur passiones, vel quod potissimum intenditur; propter quod de omnibus aliis determinatur in scientia. Et dicitur subiectum quod dignissimum est inter ea de quibus tractat scientia, sicut metaphysica dicitur theologia, quia in dignissima sua parte tractat de divinis.

g.1) Robert Kilwardby, <i>Commentarium super Priscianum Minor</i>, BAV Chigi, L. V. 159, fol. 1ra-b	g.2) Albertus Magnus, <i>Super Sententiarum</i>, I, dist. I, A, art. 2, p. 16a, ll. 16-22
<u>Ad quod dicendum quod dupliciter est accipere subiectum alicuius scientie. Vno modo illud de quo et propter qui est principaliter scientia. Alio modo id quod est commune predicabile de omnibus partialibus subiectis illius scientie. Verbi gratia. In libro Periarmentias uno modo dicitur subiectum enuntiatio una simplex, de qua ibi agitur principaliter. Alio modo interpretatio secundum nobiliores eius differentias.</u>	<u>Scientiae differunt nobilitate secundum differentiam et nobilitatem subiectorum, ut dicit Priscianus: cum ergo Theologia sit scientia nobilissima, ipsa erit nobilissimi subiecti: et hoc non est nisi Deus: ergo Deus est subiectum ejus.</u>

h) Summa theologiae sive scientia de mirabilis scientia dei, I, 1, prologus, (ed. Colon. 34), p. 1, ll. 18-32

Cum enim scientiae in duobus differant, scilicet subiecti mirabilitate et honorabilitate, et demonstrationis certitudine, ut in principio de Anima dicitur, constat illam honorabilissimam esse quae de mirabilissimo et altissimo est. Haec autem theologia est, quae tota de Deo est, secundum quod per omnia opera sua attingit a fine usque ad finem fortiter, ut disponit omnia suaviter. Sic enim innotescit in omnibus. In effectibus quidem naturae per vestigium et imaginem, in operibus autem reparationis per similitudinem gratiae, in actibus autem glorificationis sive beatificationis per consummationem gloriae. Mirabilis igitur est: et ex hoc altissima et nobilissima et honorabilissima.